

non unus, sed varius admodum. Sive enim communem vitæ sustentationem, sive sanitatis conservationem aut restitutionem, sive morum & doctrinæ formationem species, ubique satis erat prolixus. Et quidem ne *quæcumque* & sine ordine procedamus, ignorari vix potest, quam œconomum juvent horti munera, cum varia inde proveniant ciborum genera. Sive enim nova desideres, hortus desiderio satisfacit, qui singulis fermè anni temporib⁹ novos protrudit fructus; sive quibus necessitatē & famem eludas, hortus alit uberrime. Ne tamen credas, velim, nostro demū tempore aut proximè superioribus varias illas, quas recensuimus hortorum utilitates cœpisse, extitisse enim easdem antiquissimis temporibus, aut longè maiores, & recta ratio dictat, & magnorum virorum autoritas evincit. Nullum enim dubium est, quin simplicioribus existentibus hominibus, cibi quoque simpliciores fuerint. At quid quæso simplicius est in universo ciborum genere herbis, & quæ magno numero producit hortus? Ea quippe non egent igni parcentque ligno, expedita res est, & parata semper, *Plin. Hist. Nat. 19. c. 4.* Unde altera succidia *Ciceroni in Caton. Maj.* quotidiani victus levamentum *Columellæ lib. 11. c. 3.* & plebis macellum innocentiore victu fructum salubrem & frugalem porrigens *Plinio d. l.* dicebatur. Homines verò antiquissimis temporibus simpliciores fuisse hac nostra ætate non ex Historicis solum, sed inde quoque certum est, quod eos nondum ita acuerat rerum usus. Posteriora enim tempora superiori necessitati coquos, pistoresque & varios cibi ac gulæ magistros addiderunt, de quo quidem consuli possunt iij, qui in consignandis rerum inventoribus suam nobis operam probarunt. Deinde si vera est, quam ex Scripturis faciunt conjecturam plerique ex Patribus, nonnulli ex Pontificiis, in quorum numero *Lyranus*, *Tostatus* & *Carthusianus* sunt, & ex Nostratibus præcipui, qui procul dubio *B. Lutheri* sententiam sequuntur, ante diluvium scilicet homines carnes non edisse, quid ex esculentis reliquum erat præter herbas & arborum fructus, quæ expresso nomine *Gen. 1. v. 29.* homini concesserat optimus maximus Deus? Et inde, ut exquisitè alicubi judicat *Vir Illustris & Magnis*.